

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 238

C. In nomine sanctae et individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia rex. Cum omnium Dei aecclesiarum paci ac quieti et utilitatibus nostra regia sollicitudo ac potentia consulere debeat, tum maxime benignitatis et curae nostrae studium circa eas ecclesias invigilare oportere credimus, quae ad regnum nostrum pertinent et, ita dictum sit, nostro regno coherent, quae etiam jugi et assiduo orationum suffragio nos et regnum nostrum adjuvant et in temporalibus regni administrationibus nostros et labores et expensas fideliter supportant. Stabulense itaque monasterium a predecessoribus nostris regibus et imperatoribus nobiliter constructum et magnis possessionibus [ampliatum, nullisque privilegiis magnifice honoratum et libertate singulari] donatum, cum tanquam nostrum proprium artius diligamus et in omnibus juste opitulari velimus, precipue tam personam domni ac venerabilis abbatis Wibaldi, qui eidem cenobio regulariter preest, precipuo amore ac familiaritate nostra dignam judicamus, cujus fides et devotio circa stabilitatem et honorem regni excellentissimi patrum nostri felicis memoriae Cuonradi Romanorum regis et in nostra ad regiam gloriam ordinatione salis enituit. Eiusdem itaque abbatis petitioni cui nichil justum negare volumus jam dictum STABULENSE monasterium cum omnibus suis appenditiis secundum instituta regum SIGIBERTI, DAGOBERTI [Clodovei et aliorum, necnon imperatorum Caroli, Ludovici et] trium Ottonum ac divae recordationis CUONRADI imperatoris qui serenissimi predecessoris et patrum nostri gloriosi Romanorum regis CUONRADI abavus fuisse dinoscitur, et trium Heinricorum, ita videlicet ut numquam liceat alicui regum vel imperatorum eandem abbatiam et advocatiam omnium possessionum ejus, cum omni integritate sua, ullo alienationis modo [scindere a regno vel alium ei dominum imponere vel alicui in beneficium aut in] concambium dare, sed semper ad nostram successorumque nostrorum manum et servilium inconvulsa stabilitate permaneat et libertate sibi collata pacifice poliatur. Nullum theloueum, nullum pontalicum, nullum transitum et exitum, nullum denique publicum terra aquave vectigal aut pensionem monachi sive ipsorum homines in nullo regni nostri loco persolvant. Terminos banni leugae secundum quod in antiquioribus privilegiis nominati et inscripti sunt cum omni immunitate et comitatu suo sunt hactenus eadem aecclesia possedit, ita per succedentia tempora immobiliter optineat. Sancimus etiam predecessorum nostrorum more ut Malmundarium cum omnibus suis pertinentibus a Stabulensi monasterio nunquam divellatur aut separetur, quod jam tertio temptatum est, sed iudicio principum legitime cassatum et imperatoriis privilegiis finaliter est decisum. Defuncto igitur per successionem abbate, monachi utriusque loci Stabulaus in capitulum concorditer conveniant, habeantque liberrimam facultatem secundum sancti Benedicti regulam eligendi sibi abbatem, ea tamen preponderante ratione, ut quia beatus REMACCLUS ulriusque ecclesiae constructor et primus abbas [Stabulaus quiescere et locum illum Malmundario sua sepultura perficere] voluit, Stabulenses primam vocem in electione optineant et de Stabulensi conventu, si digna fuerit inventa persona, abbatem eligant. Quod si nulla ibidem idonea persona, quod fieri posse non credimus, inventa fuerit potius a Malmundariensi conventu quam [ab] extraneis [abbas] eligatur. Ceterum si inter sese nullam ad hoc officium personam aptam invenerint, [licet] eis libere de alio quocumque regulari loco sine contradictione alicujus abbatem eligere et a nobis vel successore nostro regni more investitum a Leodiensi episcopo, cui nullum servitii genus debet, consecrationem et monachorum suorum ordinationem accipere; advocatum a nostra manu accipiat qui vobis expeditionem et quae

ad ipsam pertinent pro summa el [debito] sui beneficii faciat, abbate et suis omnibus super hoc quiescente et nullam pro hac nobis aut advocato redemptionem aut supplementum prestante. Qui advocatus, si [secundum] a se advocatum ordinare voluerit, bannum a nostra manu accipere debet. Plures autem advocatos in ejusdem abbatae curtibus fieri nostro regio banno perpetua censura interdiximus. Et quoniam eorumdem advocatorum violenta rapacitas multis datis indiciis ac privilegiis vix coherceri potest, Stabulensi ecclesiae stabili firmitate concedimus ut advocatus in curtibus ejusdem ecclesiae sive in ministerialibus vel in tota familia nullam justiciam, nullum placitum, nullam precariam, nullam prorsus exactionem vel servitium habeat, sed omnis justitia, omnes lites, omnis causarum et placitorum utilitas ad abbatem et ubi ipse voluerit pertineat. Si vero per se abbas aut per suos aliquid corrigere non potuerit, ad invitationem abbatis advocatus sine mora vel contradictione veniat et tertiam partem de his quae ex illa dumtaxat justitia accreverit accipiat. Illud quoque quod in presentia clementissimi predecessoris et patris nostri gloriosi Romanorum regis CUONRADI apud Leodium in magna frequentia principium judicatum est lege inviolabili servari statuimus, scilicet ut nullus iudex qui vulgo scultelus dicitur, nullus villicus qui vulgariter maior vocatur, ministerium suum diutius habere et retinere valeat, nisi quamdiu cum gratia abbatis deservire queat, sed quotienscumque jussus fuerit reddere sine contradictione reddat, nec filius post obitum patris per hereditatem repetat. Hoc etiam quod divinae recordationis imperator Lotharius III de servitio Stabulensis ecclesiae diffinivit et per auream bullam confirmavit, quodque ab excellentissimo predecessore et patruo nostro inclito Romanorum rege CUONRADO corroboratum est, nos immobiliter statuimus ut nusquam locorum nisi Aquisgrani servitium solvat ubi post singulas messes, si illuc venerimus XX marcas argenti vel XX marcarum servitium exhibere debet. Porro in ipsis monasteriis vel in villis ad monasterium pertinentibus prestabit. Cum autem serviet abbas, unaqueque matrix aecclesia quae sui juris et ordinationis est, solvet V solidos et unusquisque mansus XII denarios ejus monete quae in comitatu illo datur ubi possessiones sitae sunt, nullis aecclesiis, nullis mansis pro aliquo pacto vel beneficio aut vadimonio ab hac pensione immunibus, non enim regni servitium aliquo alienationis modo obligari vel retardari potest aut debet. Castellum Longiae cum oppido quod idem venerabili abbas Wibaldus sub monte construxit ad abbatis manum et potestatem in perpetuum pertinere decernimus, ita videlicet ut advocatus nullam justiciam vel potestatem sive mansionem illic habeat, nec liceat ulli abbatem inde quicquam in beneficio vel concambio vel prestaria vel pignore alicui mortalium concedere. Quicquid eadem aecclesia munificentia regum aut imperatorum vel religiosorum Christianorum largitione optinuit, tam in lundis quam aecclesiis et omnibus eorum appenditiis et commoditatibus sicut hactenus possedit, sive illa [quae] deinceps justis modis optinere potuerit, parva vel magna, ubicumque locorum fuerint, sub nostre tuitionis potestate immobiliter ei confirmamus; et precipue villam Tomines quam Godefridus Namucensis comes quondam invaserat, sed a supradicto abbate, in presentia predecessoris et patris nostri Romanorum regis CONRADI, [in curia] COLONIAE celebrata proclamatus, iudicio principum et maxime salicorum, in manus ejusdem divinae memoriae regis CUONRADI reddidit et refutavit, quam et ipse serenissimus rex in manu abbatis per privilegii sui pagniam ad usus fratrum delegavit. Villam quoque Vilippam tempore pia recordationis imperatoris HENRICI injuste ablatam supradicto monasterio reddimus, villam etiam Sprimunt cum aecclesia et decimationibus et terris ad ipsam aecclesiam pertinentibus sicut dux Fredericus pro anima sua ecclesiae tradidit in perpetuum confirmamus. Adjicientes hoc ad libertatem bannilegae et oppidi Stabulensis, ut nullus dux aut marchio, nullus comes

aut vicecomes, nulla secularis vel ecclesiastica magna parvave persona in omnibus locis quae intra terminos bannileugae aut in oppido Stabulensi continentur, aliquam potestatem vel justiciam sive iudicium exerceat, nulla persona quae ibidem habitet, alium quam abbatem dominum habeat, nec pro imparibus nuptiis aut pro sanguinis effusione vel pro defuncta manu alii nisi abbati respondeat. Percussuram quoque monetae ac theloneum et publicas nundinas in oppido Stabulensi, sicut et a predecessoribus nostris, ita et a nostra munificentia et a successoribus nostris regibus sive imperatoribus lege in perpetuum valitura. Et ut ratum incon vulsumque per omnia tempora maneat, preceptum hoc conscribi et sigillo nostro insigniri precepimus, manuque propria ut infra apparet corroboravimus. Ilic etiam nostre confirmationi testes idoneos adhibuimus, quorum nomina hec sunt : Arnoldus Coloniensis archiepiscopus, Hillinus Trevirensis archiepiscopus, Heinricus Leodiensis episcopus, Fredericus Monasteriensis episcopus, Otto Frisingensis episcopus, Orthleus Basiliensis episcopus, Heinricus Constantiensis episcopus. Albertus marchio de Brandeburch, Heinricus dux Saxoniae, Matheus dux Superioris Lotharingiae . . . Heinricus Namucensis comes, Gozvinus de Falconis monte, Henricus comes de Lemborch et frater ejus Gerardus, Cuonradus de Dalehem, et alii quam plures.

SIGNUM DOMNI FREDERICI ROMANORUM REGIS INVICTISSIMI. (L. M.)

EGO ARNOLDUS CANCELLARIUS VICE HEINRICI MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI ET ARCHICANCELLARII RECOGNOVI. (L. S.)

Acta sunt haec anno dominicae Incarnationis M^o. C^o. L^o. II^o, indictione XV, regnante Frederico Romanorum rege invictissimo. Data Aquisgrani VII idus martii, in Christo feliciter. Amen.